

QUAE RES PIGNORI OBLIGARI POSSUNT
VEL NON ET QUALITER PIGNUS CONTRAHATUR.

8.17.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Optato.

Alumnos tuos et ceteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conventione, quae de bonis tuis facta est, in causam pignoris non fuisse rationis est.

PP. XII k. April. Laterano et Rufino consss.

[a. 197]

8.17.2

Idem AA. Rogato.

Cum constet pignus consensu contrahi, non dubitamus eum, qui emptiones agrorum suorum pignori posuit, de ipsis agris obligandis cogitasse.

PP. V k. Iui. Apro et Maximo consss.

[a. 207]

8.17.3

Imp. Antoninus A. Restituto.

Si monumento corpus filiae tuae intulisti, religiosum id fecisti: quo facto obligari a quoquam prohibente iuris religione non posse in dubium non venit.

PP. III k. April. Laeto II Cereale consss.

[a. 215]

8.17.4

Imp. Alexander A. ... Evocato.

Nomen quoque debitoris pignerari et generaliter et specialiter posse pridem placuit, quare si debitor is satis non facit, cui tu credidisti, ille, cuius nomen tibi pignori datum est, nisi ei cui debuit solvit nondum certior a te de obligatione tua factus, utilibus actionibus satis tibi facere usque ad id, quod tibi deberi a creditore eius probaveris, compelletur, quatenus tamen ipse debet.

PP. prid. k. Mart. Fusco et Dextro consss.

[a. 225]

8.17.5

Idem A. Septimio.

Spem eorum praemiorum, quae pro coronis athletis pensitanda sunt, privata pactione pignerare minime admittendum est: et ideo nec si generale pactum de omnibus bonis pignori obligandis intervenerit, tenet.

PP. III k. Mai. Maximo II et Paterno consss.

[a. 233]